

Albrecht Joachim Krakevitz von

**Rector Academiæ Rostochiensis Alb. Joach. De Krakevitz, S.S. Th. D. ... Cives Academicos Omnes Ac Singulos Ex officio serio ac amanter cohortatur, Ut in præsentî Angelorum Festo meditentur, Qvam Studiose Notitia De Angelis Revelata pure sit servanda, inqve verum pietatis usum dextre applicanda**

Rostochi[i]: Typis Joh. Wepplingi[i], [1718?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003987583>

Druck Freier  Zugang









T. 512.

1718. Michael.

~~M. 1256.~~ 158.



Mich. 1718.

RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
ALB. JOACH.  
DE KRAKEVITZ,  
S.S. Th. D. atqve Prof. Prim. Fac. Th.

Sen. hodieqve Decan, Consist. Duc. Consil. & Di-  
strict. Meckl. Superint.

CIVES ACADEMICOS OMN

AC SINGULOS

Ex officio serio ac amanter  
cohortatur,

Ut

in præsent

# ANGELORUM FESTO

meditentur,

QVAM STUDIOSE NOTITIA

DE ANGELIS REVELATA

pure sit servanda, inqve verum pietatis usum  
dextre applicanda.

—————  
ROSTOCH, Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.  
& ACAD. Typogr.



M. 1256 156





Vod subtilissimus olim pronunciavit *Scaliger*: In rebus à sensu remotis balbutire linguam humanam; Illud in hunc usq; diem abunde experimur. Hinc multa sunt, de quibus præstat suam profiteri ignorantiam, quam inepta de iisdem garrulitate differere. Quodsi tamen istarum quædam ad nos per Divinam revelationem translata fuit notitia, hæc certe non vilipendenda, sed sanctè custodienda inque nostrum applicanda est usum. Haud afferam nimis longe petita, sed istud unice meditandum eligam exemplum, quod hodierni diei mihi suppeditat festivitas. Inquirant, quibus hoc indagare volupe est: An existentia Angelorum ex lumine naturæ citra Scripturam S. apodictice demonstrari possit? Mihi equidem ac omnibus, qui devotissima erga Deum mente agnoscunt, quanta per ministerium Angelicum Altissimus Ecclesiæ suæ singulis ferme momentis exhibeat beneficia, sufficiet omnino, quod fide certa & immota meris fundamentis Biblicis innixa, non modo de Angelorum existentia, sed custodia quoq; ac præsidio contra innumeras inferorum machinationes certi esse queamus. Neq; contudent nos subtiles omnique solido fundamento destitutæ speculationes eorum, qui vel supra vel contra Verbum revelatum philosophari amant. Condonandæ quidem essent inanes de spiritibus ministratoriis nugæ insipientibus Gentilium Philosophis; quod autem inter eos, quibus Sacrarum Literarum lux affulsit splendidissima, etiam inveniantur, qui suo indulgentes genio vana sectantur somnia, & iisdem immotam Scripturæ Prophetiæ & Apostolicæ autoritatem quocunque modo labefactare audent, facinus est nulla excusatione dignum. Interim ut nostra de Angelis doctrina eo firmiter appareat, commitemus eandem



eandem cum pravis quibusdam nonnullorum sententiis. Non afferam, quæ in *Alcorano* leguntur, quod Angeli mundum condiderint; aut quod ex *Bereschit Rabba* adduxit *Maimonides* More Nevochim P. II. c. 6. Deum laudatum singulis diebus creare cœtum Angelorum, qui coram eo canunt canticum & discedunt. Mirari potius subit, quod multi *Latinorum* æque ac *Græcorum Patrum* istam amplexi fuerint sententiam, angelos omnes ante mundum hunc aspectabilem conditos esse; adeo, ut Scriptor quidam Græcus, citante *Dionysio Petavio* Tom. III. Th. Dogm. L. I. de Angel. c. XV. n. 2. testatus fuerit; *Omnes propemodum per orbem Ecclesia Magistros, intelligibilem omnem & angelicam naturam ex nihilo ante hunc mundum existisse, docere.* Quam hypothesibus suis apprime inservientem avide quoque arripiunt præter *Pontificios Sociniani & Arminiani.* Imo & *Cartesianos* ab eadem haud esse alienos exemplo *Wittichii* probat *Petrus van Mastricht* in *Gangræna Cartesiana* Cap. XXII. §. 3. Nostrum vero est, ut, Angelorum creationem cum ipsa cœli terræque formatione simul contigisse, pie credamus, argumento loci Gen. II. 1. cum certum sit, Angelos supremis cœli exercitibus omnino annumerandos esse, juxta Neh. IX. 6. Luc. II. 13. Qua thesi firmata firmum quoque manet argumentum minime negligendum, quod pro æterna Filii Dei Divinitate à nostratibus peti solet ex ipsius ante mundum conditum existentia; quamvis illa hoc præcise fulcro non indigeat, siquidem aliis iisdemque æque invictis sat demonstrari possit rationibus. *Quid sint Angeli?* Olim curiose inquisiverunt non Gentilium modo Philosophi *Pythagorici & Platonici*, sed inter *Judaos* quoque & *Christianos* passim multi, qui crassos sibi de Angelis formarunt conceptus, eo ipso, dum subtilia iisdem attribuere ausunt corpora, modo æterea, modo aquea, modo aëria, modo ignea. Congesserunt illas parum sibi constantes Veterum sententias *Calovius* in Syst.



Th. Tom. IV. p. m. 33. sq. *Qvensted.* in Syft. P. I. Cap. XI. qvæst. 2. *Heidegg.* in Corp. Theol. Christ. Loc. VIII. n. 6. T. I. p. m. 272. Ex recentioribus quoque perverse sentientibus integra adduci possent agmina, ast nominasse sufficiat *P. trum Pomponatum*, qui anno 1516. Bononiæ librum edidit de immortalitate animæ, in quo p. 71. asseruit: Angelos esse animalia; Et *Thomam Burnetium*, qui Lib. II. Archæol. Philosoph. c. 8. vix fieri potuisse putat, ut Angeli, si nulli prorsus materiæ uniti fuissent, nullamque prorsus voluptatem aut perceptionem ex ea habuissent, à sedibus suis & primævo statu detorquerentur. Verum illis omnibus opponimus claram & expressam Scripturæ S. literam, quæ docet, quod Angeli sint *Spiritus* Psalm. CIV. 4. 1. Reg. XXII. 21. Matth. VIII. 16. Ebr. I. 14. Hoc autem vocabulum nihil materialitatis in se continere haud ita pridem probavit B. *Grapius* in Theol. recens *Controv.* C. I. qvæst. 15. Profitemur quidem lubentissime, quod in hac mentis nostræ infirmitate determinare exacte nequam possimus, quid sit spiritus: Præeunte tamen sacra pagina omnem materialitatem tuto ab ejus removemus essentia. Siquidem Luc. XXIV. 59. non solum caro & ossa denegantur spiritui, sed & palpabilitas ac visibilitas, unde & Apostolus τῶν ἀνοητῶν nomine Angelos comprehendit Col. I. 16. Nimis hic sunt subtiles *Cartesiani*, dum essentiam Angelorum in sola cogitatione consistere docent. Sic etenim *Wittichius* in Theol. Pacif. §. CXXII. expresse scribit: *Mens omnis sive sit humana, sive angelica, sive divina, est res cogitans.* Res autem cogitans ipsi nihil aliud est, quam *cujus tota natura consistit in cogitatione* vid. l.c. §. CXIX. Idem dogma profitetur *Burmannus* in Synops. I. v. c. 45. §. u. *Sunt*, inquit, *Angeli substantiæ spirituales, quorum essentia in cogitatione consistit.* Licet v. nulli negemus, quod Angeli cogitent in cogitatione tamen totam ipsorum consistere naturam & essentiam, neutiqum possumus



mus largiri. Sic enim nos docuerunt sacra oracula, quod Angeli non solum sint Spiritus intelligentes, adeoque cogitantes, sed etiam volentes & potentes. Ps. CIII. Sed excipit Wittichius I. c. §. CLXXVII. Describit eos tanquam principatus & potestates, valentissimos robore dicit; sed non dicit istam virtutem, istud robur, aliud quid esse præter earum voluntatem, a qua cum proficisci queant ea opera, quæ ab istis producuntur, voluntas ista sub ratione potentia, virtutis & roboris consideratur. Cujus exceptionis vis facile destruitur, si hoc unicum consideremus, quod multæ operationes Angelorum ita sint comparatæ, ut meræ voluntati vel cogitationi volenti adscribi nequeant. Cogitatio enim est actio interna & immanens; quando v. angeli in Ægypto primogenitorum vitam auferunt, aut Assyriorum Castra prosterunt, operationes omnino concipiendæ sunt externæ, transeuntes eademque violentæ. Si dixeris; Etiam has operationes à sola Angelorum procedere potuisse voluntate; hæc quidem dicis non autem probas; Angelis vero talem adscribis virtutem, quæ solius DEI est perfectio. Taceo reliqua argumenta, quibus fictam istam Cartesianorum hypothesein satis solide nostrates dudum represserunt. Angeloseum in finem productos esse, ut orbis moverent cælestes, multis persuadere conati sunt Platonici. Qua de sententia Leonh. Hutterus Loc. Comm. Theol. tit. de Creat. quæst. 7 p. 206. hunc in modum pronuntiavit; Concludimus, cum de officio illo, quod in movendis orbibus cælestibus consistit, ne quid quidem (in sacris literis) extet, illud etiam pro somnio & fabula Platoniarum & Scholasticorum habendum & irridendum esse. Idem omnino formandum est iudicium, quando Origen. L. IV. contra Celsum statuit: Angelos omnium populorum Rectores ac Gubernatores à DEO constitutos esse, à quibus, hausta prius novarum linguarum notitia, homines occidentem & septentrionem versus translati fuerint.



rint; Longe aliter de Angelorum officio Sacraenos infor-  
mant Literæ. Antequam autem illud exponimus, paucis no-  
tare placet: *Origenianos* veteres, observante B. *Fechtio* in  
Comp. Th: Thet. Anti-Thet, Cap, VI. de Angel; §. 6. do-  
cuisse; *quod pro usu & abusu liberi arbitrii, per circulum quen-  
dam ex bonis angelis mali, & ex malis boni fieri possent.* Quod  
dum statuerunt, lusisse potius videntur, quam sanam tradi-  
disse de Angelis Doctrinam. Neque Scripturæ ductum, sed  
suam unice fingendi libidinem secutus est C. *Neubauerus*,  
quando, referente Celeberrimo Dn. D. *Dieckmanno*, in Præf.  
ad scripta de Comm. priv. p. 8. statuit, bonos Angelos de-  
mum post malorum lapsum à DEO conditos esse. Nos  
utique cum Scriptura S. bonos inter & malos Angelos  
differentiam hodie agnoscimus; Ast omnes Angelos æque  
bonos a DEO creatos & simul productos esse, pie credimus  
Gen. II. 1. Job. XXXVIII. 7. Quodsi enim intra sexti-  
dium illud a Mose descriptum producti sunt omnes ex-  
ercitus cœlestes, & in ipsa terræ fundatione laudantes ac ce-  
lebrantes jam jam adfuere, quî demum post malorum An-  
gelorum conditi essent lapsum, siquidem novæ alicujus An-  
gelorum bonorum creationis nullibi fit mentio? De malis v.  
qui in veritate non perstiterunt, sed suum potius dereliquere-  
runt principatum, constanter sacer testatur codex, quod tales  
semper maneant, & æternis tenebrarum vinculis constricti te-  
neantur; quemadmodum Angeli in bono confirmati semper  
faciem Patris Cœlestis intueri leguntur, conf. Joh. VIII. 44.  
Jud. 6. Matth. XVIII. 10. De bonis hisce Angelis scire omnino  
convenit, quænam ipsorum sint officia, & an ex his etiam re-  
spectu nostri aliqua erga Deum resultet obligatio. Varia qui-  
dem illa sunt, revocari tamen facile possunt ad duo genera, quo-  
rum prius laudem Divinarum recensione, alterum jussorum  
Divinorum executione absolvitur, Quod laudes ac virtutes  
supre-



supremi Numinis recenseant, omnium clarissime elucet ex  
 El. VI. 3. ubi memorabilis ille reperitur hymnus Angelicus:  
*Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum: Plena est omnis ter-  
 ra gloria ejus.* Hoc genus officii tanti fecit *Athanasius*, sive  
 potius quisquis est *Scriptor* quaestionum ad *Antiochum*,  
 quaest. 30. ut ipsi *Angeli* definitioni illud inferendum esse  
 duxerit; quando *Angelum* dixit *ἄγγελον λογικόν, ὑμνολογικόν, ἀθά-  
 νατον, ἀνίμαλον*, animal rationale, HYMNISONUM, immortale. Imo,  
 juxta illum ipsum *Autorem* sequenti qu. 31. bonorum *Angelo-  
 rum* seu *supercaelestium* virtutum opus est *hymnus* indefinens, &  
*laus* irrequiescens magnificentiae *DEL*. Hoc probe pensitans *Regi-  
 gius* *Psalm.* CIII. v. 20. omnium primo angelicæ lau-  
 dis mentionem facit, dicens: *Benedicite Jehovæ, angeli ei-  
 jus, valentissimi robore, efficientes verbum eius, auscultan-  
 tes voci verbi ejus;* Atq; sic utrumque perfectissime delineat  
*Angelorum* officium. Haud vanam esse conjecturam fan-  
 ctorum *Patrum* existimantium, *angelos* & *beatos cœlites* saltan-  
 tes laudare *Deum*; quorum sententiam celebres quidam *pic-  
 tores* penicillo expresserint: Statuit *Menchtrelius* in libro, cujus tit.  
*Des ballets anciennes & modernes selon les regles du theatre.* Li-  
 cet vero in sensu proprio hoc affirmari nequeat, nil tamen  
 impedit, quo minus dicamus, quod singulari cum gaudio ac  
 voluptate utroque suo *angeli* defungantur officio. Quid e-  
 nim *creaturæ* rationali gratius accidere potest quam quotidie  
 inexhaustas omnis *sapientiæ* ac *bonitatis* *Divinæ* abyssos con-  
 templari, inque *virtutibus* *divinis* evehendis ac celebrandis  
 sancte sese exercere; Aut obsequiosum sese gerere illius *man-  
 datis*, qui nil præcipit nisi quod *magnificum*, *gloriosum*,  
*jucundum* ac *salutare* est? Hæc *sacris* *Literis* quam maxime  
 conformia nobis in *memoriam* revocare placuit, *Cives* *Optimi*,  
 hoc ipso *sacro* *Angelorum* *festo*, quod *pia* *Antiquitas* ideo  
 quotannis celebrari voluit, ut *doctrina* de *Angelis* non so-  
 lum



lum pura & incorrupta maneat in Ecclesia, sed Christiani quoque discant, quomodo eandem in usum pietatis recte ac pie adhibere possint. Uno alterove haftenus demonstratum fuit exemplo, quam faciles etiam hoc circa dogma sint ingeniosorum hominum lapsus, caveamus itaque ne nostris nimium indulgeamus ratiocinationibus, potius omnem de Angelis doctrinam juxta normam sacrarum Literarum unice mensuremus & vitemus omne illud sedulo, quod vel minima in parte deviare videtur, neque admittamus quicquam, quod non, vel expressis verbis, aut per pronam consequentiam, ex divino eodemque scripto probari potest verbo. Ceterum omne impendamus studium, ut etiam in hac vita iisdem, quibus Angeli, defungamur officiis. Innumera nobis quotidie supeditantur laudum Divinarum argumenta, & hic ipse, quem vivimus, dies nos admonet, ut devota erga Deum mente celebremus insigne illud beneficium, quod Angelos nobis dati sint custodes & defensores contra insultus malignorum non solum spirituum sed & hominum. Et quemadmodum Angeli in exequendis mandatis Creatoris sui quovis momento sunt promptissimi, ita & nos nihil magis curae habeamus, quam ut per nos quoque fiat voluntas Domini nostri in terris, quemadmodum ab Angelis perficitur in Caelis. Ceterum ut Dominus & suis de nobis praecipiat angelis, qui conservent nos in omnibus viis nostris, omnibus contendamus precibus.

P. P. Sub Sigillo Univers. in ipso  
FESTO ANGELORUM  
Anno MDCCXVIII.













Supremi Numinis recenseant, omnium clarissim  
Ei. VI. 3. ubi memorabilis ille reperitur hymnus  
*Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum: Plena  
ra gloria ejus.* Hoc genus officii tanti fecit Atha  
potius quisquis est Scriptor quaestionum ad A  
quaest. 30. ut ipsi Angeli definitioni illud inser  
duxerit; quando Angelum dixit *ἄγγελος, ἰμωδ  
ῶν, animal rationale, HYMNISONUM, immor*  
juxta illum ipsum Autorem sequenti qu. 31. bonor  
rum seu *supercaelestium virtutum opus est hymnus in  
laus irrequiescens magnificentia DEI.* Hoc probe pen  
gius Psaltes Psalm. CIII. v. 20. omnium primo ang  
dis mentionem facit, dicens: *Benedicite Jehova  
ius, valentissimi robore, efficientes verbum ejus,  
res voci verbi ejus;* Atq; sic utrumque perfectissim  
Angelorum officium. Haud vanam esse conje  
ctorum Patrum existimantium, angelos & beatos coe  
tes laudare Deum; quorum sententiam celebres qu  
res penicillo expresserint: Statuit Menestrenius in libr  
*Des ballets anciennes & modernes selon les regles du th  
cet vero in sensu proprio hoc affirmari nequeat,  
impedit, quo minus dicamus, quod singulari cum  
voluptate utroque suo angeli defungantur officio  
nim creaturae rationali gratius accidere potest qua  
inexhaustas omnis sapientiae ac bonitatis Divinae a  
templari, inque virtutibus divinis evehendis ac  
sancte sese exercere; Aut obsequiosum se gerere  
datis, qui nil praecipit nisi quod magnificentum, g  
jucundum ac salutare est? Haec sacris Literis qua  
conformia nobis in memoriam revocare placuit, C  
hoc ipso sacro Angelorum festo, quod pia Antic  
quotannis celebrari voluit, ut doctrina de Ang*

